

mer

atti

us

re

uli

20

den

tive

ia

ma




EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB.BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.


Ac. 40.













DISPUTATIONEM HANC  
De  
RESTITUTIONE  
IN INTEGRUM IN  
GENERE,

AUSPICIO  
TRINUNII POTESTATIS,  
ASSENSU

JCtorum Amplissimæ facultatis,

PRÆSIDIO

*Chriſtissimi & Conſultiſſimi Viri*

Dn. CONRADI CARPZOVII J.U.D.

Profess. Publ. Electoralis Curia, Consistorii, Fa-  
cultatis Juridicæ Assessoris dignissimi, Præceptoris  
jure merito observandi, Promotoris mei  
optimi maximi,

*Ventilandam exhibeo*

CASPARUS Pfreundt Brandenburgensis

*Habebitur*

In Auditorio JCtorum

Die 9. Mens. Novemb. horis à septima matutinis.



WITTEBERGÆ

Excudebat AUGUSTUS BORECK, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XXVI.

*Ex dono  
H. P. Res  
H. et Au*





RESTITUTIONE

IN MATHEMATICIS

GENERE

TRINUM PROPOSITIS

Facultatis Mathematicae

Præsidentis

Classici

Dr. CAROLUS CARSTEN

Prof. Publ. Mathematicae, Consiliarius

causarum Mathematicarum, Praeceptor

in

Mathematicis

Mathematicis

et ASTARUS

Mathematicis

In Auditorio

Die

WITTEBERG

WITTEBERG

Excelsior Anstalt, Acad. Typogr.

ANNO

*Handwritten notes:*  
Karl  
Karl





Συμ τῷ Θεῷ

THESIS PRIMA.



Um omnis actio prodita sit juris nostri persequendi gratia, §. 1. *Inst. de Act. l. nihil aliud § 1. ff. de Obl. & Act.* igitur pro ut est jus nostrum de rebus, ita & erunt actiones; teste *Cicer. pro Rabir.* Omne verò quod nostrum est, sive proprie & potestatis nostræ, sive quod nobis debetur, aut ipso jure communi est nostrum, aut eo jure amissum, salvum habemus extraordinario auxilio Prætoris, id est, quod prius amissum consequimur per restitutionem in integrum *l. in cause 16. ff. de Minor.* Hinc ergo summa actionum ducitur divisio: Aliæ sunt directæ, juris nostri rectè persequendi, aliæ juris amissi recuperandi, obliquæ actiones, quæ desiderant præcedentem magistratum in integrum restitutionem *Donell. 19. comm. 2. & ibidem Hillig.* Deo itaque duce quantumque ingenii mei exigui vires largientur, feretur lingua mihi in hoc exercitium disputatorium publicum de Restitutione in integrum in genere; de cujus materiæ ubertate amplitudine & dignitate plura addere nolo, ejus etenim utilitas non eget commendatione, se ipsum enim satis ostendit *l. 1. ff. de Restit. in integ.*

II.

Principio itaque patet restitutionem in integrum esse de jure extraordinario *l. 16. ff. de Min. l. 7. §. 1. in fin. h. t. l. 2. C. de Restit. in integ. l. 4. C. si advers. rem. jud. l. 3. C. si advers. libert. Wesenb. in par. h. t. n. 5. Donell. 19. comm. 2. & 21. comm. 4. Duarenus h. t. c. 1. vocat eam viam obliquam seu actionem, Maur. in tr. suo de restit. in integ. c. 2. n. 1. & seqq. unde nec ea uti licet cum juris civilis remedium supersit *l. 16. ff. de Minor.* cum in defectum ordinarii juris, modò subsidii loco, introducta *Petr. Ferrar. in tr. de Rest. in integ. gl. 1. n. 1. & propterea contrahentes in contractibus qui ipso jure non va-**

A 2

lent,





lent, hujus ope & beneficio non indigent, cum tunc sint jure  
communi ordinario *Petr. de Ferrariis d. tr. add. 2. gl. 1. Francisc. de  
Cald. ad L. 3. si Curatorem C. de Restit. in integ. min. in defin. verbo Im-  
plorare n. 5.*

### III.

Aquæ Prætoræ naturalem secuto æquitatem introducta *l. 1.  
& 7. h. t. l. 1. ff. de min. contra jus commune, scilicet strictum & sum-  
mum, non vero simpliciter sumptum, quod ex æquitate potissi-  
mum æstimatur Ant. Fab. ad l. 1. & 2. h. t. vel quatenus gesta & per-  
acta, quæ communi jure subsistunt rescindit & infirmat Hill. ad  
Donell. lib. 21. c. 4. in not. Maur. in d. tr. c. 2. n. 5. 7. & 8. A quâ opinione  
videtur recedere Zasius 1. Intell. Singul. 20. n. 8. eam ex jure com-  
muni esse ostendens, cum edicta Prætorum partem juris com-  
munis faciant; quem conciliat Maur. d. l. cum Dd. non negando  
scilicet, restitutionem esse juris communis partem, sed contra-  
rari saltem cætero communi juri, quod per eam contractus in-  
ter partes damnosè celebrati rescindantur, obligationes annul-  
lentur, quæ secundum regulas juris communis firmæ stabilesq;  
persisterent, & jura amissa restituantur, idque ex naturali æqui-  
tate eum contrahens alias cum minoris vel absentis jactura &  
damno locupletaretur Hill. & Maur. d. l. Walth. 1. Misc. 12. Cald.  
d. l. n. 8.*

### IV.

Nec parum peccat *glos. in l. 1. ff. de Min. remedium restitutio-  
nis contra naturalem æquitatem esse malè asserens, quæ pacta  
servari præcipit, l. 1. de Pact. cum tamen maximè sit favorabile,  
regulis juris consentaneum & naturali æquitati subnexum d. l.  
1. de Min. licet enim æquum sit in genere pacta servari, in specie  
tamen ea quoque servari quæ læsionem alterius continent & da-  
mnum seu jacturam important iniquum est: Bart. ad l. 4. ff. de Min.  
Etenim eidem æquitati, quæ conventiones vult servari, iniquas  
quoque rescindi convenit, cum æquum non sit aliquem locuple-  
torem fieri cum alterius jactura & damno l. 14. ff. de Condict. in-  
debit. Nec omnia pacta remedium hoc restitutionis rescindit, sed  
illicita nec læsione carentia; itaque in cujusque negotii seu cau-  
sæ cir-*



ſæ circumſtantiis diligenter inquirendum erit, cum ex iis æquitas æſtimanda ſit, nam quamvis aliquid per ſe iniquum videatur, attamen ex circumſtantiis ætatis, perſonæ, doli &c. merito æquum haberi poteſt *Duar. in pr. tit. ff. de Minor. Hill. in not. Donell. lib. 21. c. 4. Franc. Cald. ad d. l. 3. C. verb. implorare. Sfort. Odd. p. 1. q. 1. art. 14. tract. de Reſt. in integr. Maur. d. tr. 2. n. 10. Vasq. lib. 1. illustr. contr. c. 32. n. 11. & 12.*

V.

Deinde notandum reſtitutionem non propriè dictam eſſe actionem, ſiquidem eam magiſtratus tribuit cauſa cognita *l. 2. C. ſi adverſ. rem. jud. l. 2. C. ſi adverſ. fiſc. l. 16. in pr. ff. de Minor.* Magiſtratus vero non ipſe agit cum reſtituit, aut aliter judicat, ſed apud eum agitur, ut ſit in reliquis judiciis; Licet vero reſtitutio ipſa actio non ſit, ſed officium judicis *l. 24. §. ſin. de Min. l. 43. ff. ex quib. cauſis major. & text. eſt clarus in c. ſin. extr. de Offic. jud.* poſtulatō ejus tamen & petitio actio eſt in qua de Reſtitutione in integrum agitur *l. non ſolum 29. §. 6. ff. de Procur.* poſtulatō itaq̃ privati litigatoris eſt, hic enim reſtitutionem poſtulat & de ea cum adverſario agit, reſtitutio vero ejus qui reſtituit, i. e. magiſtratus; & poſtulatō ſeu actio reſtitutionis eſt res qua petimus reſtitutionem, reſtitutio vero eſt res quæ petitur. Inde figuratè vel per Synecdochen partis & Metonymiam contenti actio dici poteſt & ſæpius dicitur, ſicuti in ſimili ſtipulationes prætorix *l. 38. actio- nis ff. de Obl. & Act. Donell. 21. comm. 4. Odd. p. 1. q. 35. art. 6. Maur. d. tr. c. 11.*

VI.

Vocabulum reſtitutionis deducitur à reſtituere, quod nihil eſt aliud quam aliquid reddere *l. 75. de V. S. l. præterea 20. l. qui reſtituere 68. ff. de R. V. ſeu rem in eum ſtatum, quo ante læſionem erat, cauſa cognita l. 3. 8. h. t. l. 13. 16. in pr. l. 24. §. ſin. ff. de Min. l. 15. ff. quo vi aut clam l. 3. C. ſi adverſ. libert. l. 4. C. de hiſ que vi metusve &c. reponere d. l. 75. de V. S. l. 24. §. 4. de Min. l. 2. §. 37. ne quid in loc. pub. perinde ac ſi nullum negotium geſtum fuiſſet, quod & vocis in integrum ſignificatio denotat *W eſenb. in par. h. t. n. 5. Schn. ad § ſi itaq̃, Inſt. de Actio. n. 5. Donell. 21. comm. 4.* Varroni dicitur reſtituere quaſi retro ſtatuere ſive conſtituere & dare & reddere.*

A 3

Reſti-



## VII.

Restitutionis in integrum significatio præcipuè triplex est: alia enim est damnatorum ex causa criminali; & hæc principibus tantum competit *l. 27. in fin. pr. ff. de Pæn.* olim quoque senatui *l. 1. §. 10. ff. postul.* de qua alio loco agitur, ut in *tit. de Sentent. pass. & restit.* alia est quæ locum quidem habet in causa civili, sed inducitur per accusationem falsi *l. 33. de re jud. tot. tit. C. si ex fals. instrum.*; alia denique est quæ locum habet in causa civili, & civili cognitione Prætoris sive magistratus majoris citra accusationem criminis inducitur *l. 3. h. t.* & de hæc postremâ duntaxat hic agitur; Sapius tamen pro specie restitutionis solius minorum sumitur. *Justus Mejer. in Coll. Argenterat. lib. 4. tit. 1. n. 2.*

## II X.

Hæc vulgò à Dd. definitur quod sit redintegrandæ rei vel causæ actio; seu prioris status vel in pristinum statum redintegratio seu repositio *Rebuff. de Restit. in pr. Marant. p. 6. de appell. n. 77. Maur. d. tr. c. 1. Sfort. Odd. p. 1. q. 1. art. 4. in pr. Sed Wesenb. in par. h. t. n. 5.* has definitiones latiores esse suo definitio judicat, cum tam de ordinariis restitutionibus, quarum tamen hic nulla est tractatio, quam extraordinariis, de quibus hæc in parte duntaxat agitur, possint intelligi, & propterea clariorem hanc subnectit, quam & nos probamus. Restitutio in integrum est remedium extraordinarium, quo Prætor deceptos aut læsos in eam causam in qua ante deceptionem aut læsionem erant ex justa causa reponit ac reducit.

## I X.

Hujus tractatio vel est generalis, quæ de restitutionibus agit in genere, *tot. tit. de Restitut. in integ.*; vel specialis, quæ singulas ejus species transcendit & pertractat. Nos hac vice de generali tractatione pauca pro ratione instituti videbimus, specialiora ad aliud tempus reservata relinquimus.

## X.

Causa Efficiens est Prætor *l. 1. & tot. tit.* qui beneficium hoc ex æquitate, tanquam causa impulsiva interna, introduxit *l. 7. §. 1. h. t. l. 1. ff. de Minor. l. 1. ex quibus causis major, & hominibus lapsis*



lapsis & læsis, officium ejus implorantibus, (jura enim vigilantibus sunt scripta, ) tanquam causa impulsiva externa subvenit & succurrit l. 24. §. fin. ff. de Min. Wesenb. in pcr. h. n. 5. Sfort. Odd. p. 1. q. 1. Duar. ad h. t. c. 1. Maur. h. tr. c. 2. & 3. Mejer. h. t. n. 5.

XI.

Subjectum ejus sunt omnes personæ læsæ quibus hoc beneficium restitutionis competit, tam masculini quam fœminini sexus l. minor 48. §. 1. & 2. de Minor. sive sint minores sive majores, modo sine propria sua culpa deceptæ sint, maximè tamen si fraus & dolus adversarii intervenerit l. 7. §. 1. h. t. l. minor 18. §. fin. ff. de Minor.

XII.

Nec tamen ad personas tantum læsas hoc beneficium restringitur, sed competit quoque ejus successoribus l. 6. h. t. & ibid. Cujac. l. 3. §. 9. l. 18. §. ult. l. 19. ff. de Min. Hinc beneficium hoc magis reale quam personale esse volunt Myns. 4. Obs. 18. & 19. Wesenb. in par. h. n. 6. Maur. d. tr. c. 13. alii vero personale, cum fidejussor minoris eo non liberetur l. 13. ff. de Min. l. 1. & 2. C. de Fidejuss. min. Verum ab eorum sententia non videtur discedendum, qui senserunt mixtum esse beneficium, non ex eo, quia fidejussori minoris non competat, cum non sit rationem veram reddere, imò potius dictum dicto advertere: sed quia certum sit minoris personam læsam, nec aliàs ei per restitutionem indulgendum, nisi hoc lex personæ contemplatione faceret quasi persona istud operetur: quod satis desumitur ex l. exceptiones 7. ff. de Except. l. 1. ff. de Minor. partim itaque personæ contemplatione tribuitur, partim quoque causæ scilicet damni seu læsionis, quandoquidem tribuitur quidem minoribus 25. annis, sed non aliter quam facilitate & judicii imbecillitate læsis Myns. d. Obs. 14. Maur. d. tr. c. 13. Donell. 21. comm. ult. Hillig. ibidem. Franc. Caldas. ad d. l. 3. verb. minorib. n. 46.

XIII.

Conceditur autem hoc remedium non modo singulis personis, sed etiam universitatibus; utpote collegiis piis Marant. p. 6. de Appell. n. 90. Capitulis, si videlicet toti collegio, non etiam uni parti-



particulari quædam resultat læsio *Marant. ibi n 89.* Civitatibus Ecclesiis, his enim tribuitur eadem restitutio quæ tribuitur minoribus &c. *Marant. d.l. Arnold. à Reg. in disp. Process. 14. th. 16.*

XIV.

Excluduntur tamen à restitutione liberi adversus parentes utriusque sexus, libertique adversus patronos, patronasve *l. fin. C. qui & advers. quos*, ut honor in omnibus parentibus & patrono vel patronæ, illibatus atque intactus maneat, personarum etenim reverentia omnem eis excludit restitutionem, id quod etiam confirmat *l. 27. §. ff. de Minor. Maur. c. 224.* Nec restituitur qui restitutione postulata uti non vult, cum quilibet remedio pro se introducto possit renunciare *l. 41. ff. de Minor. l. fin. C. de Pact.* Minores quomodo à restitutione excluduntur in speciali eorum restitutione erit animadvertendum.

XV.

Restituuntur vero in contractibus, judiciis & delictis. In contractibus ut adversus literarum obligationem, fidejussionem, mandatum, societatem, emptionem, venditionem, locationem, ut & adversus aditam vel repudiatam hereditatem &c. In judiciis, ut adversus ea quæ gesta vel omissa ante vel post litis contestationem, adversus lapsum instantiæ, adversus sententiam, appellationem, lapsum fatalium &c. In delictis: partim committendo partim omittendo; ita tamen ut facta quidem per se non mereantur restitutionem sed quia illis minori aliquid abest. De quibus omnibus per distinctiones & limitationes optimè tradit *Sfort. Odd. p. 2. sui tract. Donell. 21. comm. 8. & seq.* nec hic referri nostri est instituti.

XVI.

Causas restitutionis refert & enumerat *Ulpianus in l. 1. & 2. h. r.* & sunt metus, dolus seu calliditas, justus error, ætatis fragilitas, justa absentia, necessaria & probabilis, status mutatio & similes. Hisce an ignorantia justa annumeretur à Dd. controversatur, nos negativam tenebimur, quæ juri nostro magis convenit; & ab Electore Augusto probatur, *p. 2. Const. 9.* Quamvis affirmativam magis communem esse testetur *Andr. Geil. 2. Obs. 19. n. 19.*

et remedio  
introducto  
renunciare  
ff. de minor.



ib. 19. Wes. Consil. 5. p. 1 n. 32. & in parat. tit. ex quibus causis major. &c.  
n. 1. per l. 1. ff. de quibus causis &c. Quam in pronunciando extra di-  
tiones Electorales Saxonicas sequitur Collegium Juridicum  
Wittebergense, uti conclusum Mense Julio Anno 1582.

XVII.

Datur vero adversus lædentes cujuscunq̃ue etiam condi-  
tionis sint, vel ex persona aliena vel ex sua, ex aliena, ut adver-  
sus patrem ex re à filio, adversus Dominum ex re à servo gesta  
quatenus ad eos pervenit, ad vires tamen usque peculii l. 24. §. 3.  
ff. de minor. Ex sua, adversus quemcunq̃ue, ad quem per occasio-  
nem rei gestæ quicquam pervenit; quod suis locis in speciali  
tractatione notabitur Donell. 21. comm. cap. ult. Hill. ibid.

XIX.

Objectum seu materia restitutionis sunt omnes res circa  
quas versatur; Res vero istæ vel jam datæ & factæ sunt, vel sunt  
causæ ad dandum vel faciendum, hoc est, quin res adhuc inte-  
græ sunt, puta cum nihil adhuc datum vel factum, sed causa sub-  
est, i. e. obligatio ad dandum vel faciendum, quæ per restitutio-  
nem in integrum annihilanda, cum non solum perfectæ sed &  
imperfectæ res redintegrantur l. 9. §. 3. ff. quod metus causa Ves. in  
par. b. t. n. 5. Hill. in notis Donell. 21. c. 4. lit. h. Odd. p. 1. q. 4. art. 11.

XIX.

Res tamen non sit frivola aut levidensis, sed quæ majoris  
momenti, nam propter satis minimam rem vel summam, si ma-  
jori rei vel summæ præjudicetur non audiatur qui in integrum  
restitui postulat l. 4. h. t. l. 9. §. ult. de Dol. l. 54. de Contrah. empt. per mi-  
norem enim causam majori non debet fieri præjudicium l. per  
minorem, de Jud. Bocer. class. tr. disp. 10. th. 92. Duaren. ad h. t. cap. 4.  
Cum enim restitutio in integrum contra jus civile datur ad infir-  
mandum & rescindendum id, quod jure civili subsistit l. in hono-  
riis 35. de Obl. & Act. itaque temerè nec ob res leviculas danda  
l. si quis 9. §. ult. cum l. seq. de Dol. Hinc Bart ad l. scio 4. h. t. in iis quæ  
speciali privilegio contra jus commune permittuntur modica  
non curantur. Secus vero est in iis qui secundum jus commu-  
ne conceduntur l. si proprietarius 22. vers. eadem ff. de Damn. infect. §.

B

Galli-



*Gallinarum Inst. de R.D. Geil. 2. Obs. 102. n. 4. VVes. in par. h. t. v. 5. Trentl. disp. 11. vol. 1. tb. 2. lit. 6. Cujac. & DD. comm. ad l. 4. h. t. Sfort. C. ad. p. q. 4. art. 12. & 13. qui concludit arbitrio judicis esse remittendum ut pro qualitate personæ & quantitate patrimonii judicet, quanta læsio ad restitutionem sufficiat.*

XX.

Ita tamen restitutio facienda est ut unusquisque suum jus integrum recipiat *l. 24. §. 4. de Minor. & propterea in restitutionis petitione non tantum venit damnum quo affectus est is qui beneficium seu remedium restitutionis petit, verum etiam id quod is accepit & quod ad eum pervenit, vel exemptione vel ex alio contractu, aut si quid dolo ejus malo factum est quo minus percipere potuit; ut enim in damno morari non debet, ita nec in lucro cum alterius damno *l. un. C. de Reput. quo sunt in jud. in integr. rest. l. 7. §. 5. in fin. l. 24. §. 4. l. 27. §. 1. l. 47. ff. de Min. l. 4. §. 9. de Dol. except. Geil. Obs. 114. n. 2. Major. ad d. rit. num. 12. 39. & 40.**

XXI.

Forma consistit in justo ac legitimo petendi modo; circa hunc varia notanda occurrunt, scilicet quo ordine judicii, coram quo iudice, quibus mediis, quo loco, & quo legitimo tempore restitutio petenda sit. De quibus ordine & sigillatim videbimus.

XXII.

Ordo judicii seu processus restitutionis, quod attinet sicuti in reliquarum causarum cognitionibus, ita ut restitutionis in integrum ordinarius desideratur, offerendo scilicet libellum litem contestando *l. 34. ff. de Min. l. Papinianus 20. §. 1. eod. C. 2. de Off. jud. citationem partium edendo l. 3. h. t. l. 13. in fin. pr. de Min. Nov. 119. e. 6. causam probando l. 7. 9 C. de his que vi vetur causa & c. l. 6. C. de Dol. l. 4. & 5. C. de Restit. in integ. c. 1. vers. manifeste apparet & c. ex literis, extr. eod. restitutiones enim fieri non possunt nisi causa cognita, imò plenissimam causæ cognitionem requirunt *l. 3. & 5. h. t. l. 13. 16. in pr. l. 24. §. ult. l. 44. de Min. l. ult. C. si minor se major. dixer.**

XXIII.

Hinc fit ut litis contestatio utraque parte presente fieri de-  
bet



bet, Panorm. c. tūm ex literis de in integrum restit. Bart. l. fin. ex quibus  
causis maj. (vel altera parte contumaciter absente l. 13. vers. causa ff.  
de Minor. idem enim est adesse vel contumaciter abesse gl. ad l. 13.  
§. causa. sin vero non contumaciter partes absint, conceditur ipsis  
spacium trium mensium ad comparandum Nov. 119. cap. 6. intra  
quod nisi comparuerint, restitutio adversus eos conceditur, per  
restitutionem enim retractatur sententia non absque magno vi-  
triciis præjudicio, ideoque absente altera parte iudex de causa  
restitutionis adversus sententiam latam non cognoscit Myns. 1.  
Obs. 49. & 4. Obs. 21. VVes. in par. h. t. n. 5. Cald. ad d. l. 3. in verb. imploran-  
dum n. 14 Maur. d. tr. c. 136. 138. & 193.

XXIV.

Quæ omnia vera sunt modo principaliter restitutio implo-  
retur c. fin. de Off. jud. c. ignarus de Libel. oblat. secus si incidenter pe-  
tatur, tunc enim summaria læsionis cognitio & indagatio suffi-  
cit; Quod & procedit in evidenti & manifesta læsione, quæ  
nulla probatione alia indiget l. quod si minor §. 1. de minor. Myns 40.  
Obs. 17. & 21. Treutl. d. disp. 11. th 2. lit. a. Arnold. à Reyer d. disp. 13. th. 21.  
Maur. c. 136. & 193. Cald. d. loco.

XXV.

In iudice notandum, quod coram quolibet non experiatur,  
sed eo solum qui imperium seu potestatem restituendi habet.  
Olim Prætor tantum restituerebat l. 3. & 5. h. t. l. 2. C. ubi & apud  
quem; hodie vero princeps l. 1. C. eod. l. 10. & 18. §. 1. de Mi-  
nor. & quilibet ordinarius magistratus qui jurisdictionem ha-  
bet, etiam demandatam sive specialiter ipsi hoc demanda-  
tum sit, sive generaliter ad universitatem causarum iudices da-  
ti sunt, vel aliis speciebus inciderit quædam restitutionis quæ-  
stio, recte restituunt l. ult. C. ubi & apud quem l. 17. §. 1. de Minor.  
Duar. ad h. l. fin. VVesensb. in par. h. t. n. 5. Maur. c. 35. & 37. Mejer. in  
h. tit. n. 6.

XXVI.

Non tamen restituit magistratus municipalis, quia restituti-  
o mixti est Imperii, in quo eminent imperium, quo caret magi-  
stratus municipalis, cum magis imperii sit restitutio quam juris-  
dictionis l. 26. §. 1. ff. ad munic. Nec arbiter compromissarius, quia  
B 2 talis



alis magistratus nullam penitus habet jurisdictionem seu imperium *d. l. ult. C. ubi & apud quem & c.* cum consensus privatorum jurisdictionem dare nequit *l. 2. C. de Jurisdic. jud.* imò ne incidenter quidem cognoscit de jure civili *d. l. ult.* licet de Jure Canonum *c. 9. h. t. & ibidem Panorm. Trentl. d. disp. II. th. I. lit. C. Cald. ad d. l. 3. verb. impl. n. 17. Maur. in h. tr. n. 38. & 40.*

XXVII.

Pedanei iudices nec hi restituunt, cum singulis causis dentur nec pro tribunali cognoscant *d. l. fin.* Nec refert quod in *d. l.* mentio fiat iudicum datorum, hoc enim intelligendum est vel de iudicibus, quibus mandata est jurisdictione, id quod apparet ex verbis *l. vel si generaliter dati sunt iudices*, quæ de pedaneis intelligi nequeunt, cum non generaliter, sed in singulis causis dantur; vel de iudicibus datis à principe, qui vel magistratus sunt vel certè eo ipso quod à principe dentur, habent jurisdictionem *arg. l. 5. C. de Judic. cum l. 3. ff. de Jurisdic. Mejer. d. l. n. 7. Hunn. in Trentl. disp. II. vol. I. th. I. q. 3. & seqq.*

XXVIII.

Restituit autem magistratus tum adversus suam *tot. tit. C. si advers. rem jud. post. text. in c. suscitata & c. literis extr. h. t. Geil. I. Obs. 114 n. 3.* tum aliorum sententiam *l. 16. in fin. l. 17. de minor. modo non sit inferior seu minor l. 18. ff. eod. cujus ratio esse videtur quod inferior in superiorem nullam jurisdictionem seu imperium habeat, quo quave absente fieri non potest, ut quis sententiam per alium latam rescindat.*

XXIX.

Excipitur autem à regula delegatus principis, adversus cuius sententiam, cum superiorem principe excepto neminem habeat, nemo nisi solus princeps restituere potest, *d. l. 18. S. pen. de Minor. l. fin. C. ubi & apud quem. l. 3. C. si advers. rem jud.* Sic quoque delegatus magistratus ordinarii adversus suam sententiam non restituit, functus enim est suo officio, quare uti eam nec interpretari aut declarare possit *l. iudex posteaquam ff. de re jud.* quod multo minus est, tamen nec adversus illam restituere potest, quod multo majus est. Adversus interlocutoriam tamen, quia nondum



nondum est suo officio functus, restituere potest l. fin. C. qui & ad-  
vers. quos. Francisc. Cald. ad d.l. 3. in desin. verb. implorand. n. 18. & seq.

XXX.

Medium per quod restitutio petatur est imploratio iudicis,  
actionis enim via quæri non debet uti thesi 5. dictum, quæ im-  
ploratio tamen per viam actionis vel exceptionis proponenda  
est *Vves. in par. h. t. n. 5. Steinh. in par. ibid. Arnold. Reyer. d. disp. II. th. 21.*  
*Francisc. Cald. ad d.l. 3. C. in desin. verb. implorandum n. 1.* Nec inter-  
est sive per se, sive per procuratorem experiatur, semper tamen  
imploratione iudicis fieri debet qui cognitione sua, seu ut vulgo  
loquimur, vero suo officio restituit l. 24. §. f. de Min. l. 1. ff. ex quib.  
causis major. & dat actionem metus, doli, alienationis iudici mu-  
tandi causa factæ. tot. tit. ff. & C. quod met. causa t. t. ff. & C. de Dolo.  
de alienatione jud. mutand. & c. l. 2. §. 1. de cap. min. l. 13. §. 1. de Min.  
*Vves. d. l. Treutl. d. disp. II. th. 2. lit. C.*

XXXI.

Nullum vero dubium est quin per procuratorem peti possit  
restitutio; cum nec necessarium sit ut præsentis personæ læsæ  
eam implorant, sufficit enim per instrumenta ætatem vel læ-  
sionem satis probare; modo procurator speciale habeat man-  
datum, nam generale non sufficit l. 25. §. 1. de Min. l. un. C. etiam  
per præ. causam in integr. restit. & c. c. coram c. suscitata, ubi gl. de restit.  
in integ. Bald. ad d. l. un. qui triplicem facit rationem 1. si adversus  
jus commune computat restitutio, æquum est speciale requiri  
mandatum 2. quia restitutio in se complectitur retractationem,  
ita ut ob id contra minorem extendatur. l. un. C. de reput. quæ fiunt  
in jud. & c. 3. quia non licet procuratori factum Domini immu-  
tare vel impugnare, nisi speciali mandato munitus sit, si hominem  
ff. mandat.

XXXII.

Maurit. d. tr. c. 2. 3. n. 3. & 4. separatim hæc rationes nihil ad  
negotium concludere putat, & propterea n. 5. hanc addit, quod  
restitutio contractus videatur esse alicujus ponderis, quia res jam  
perfecta & consummata retractanda sit & jus alteri quæsitum  
auferendum, itaque speciali opus erit mandato. Si tamen de

B 3

speciali



Speciali hoc mandato dubitaretur, interposita stipulatione, de  
ratihabitatione Domini, rei potest mederi *l. 26. de Min. Maur. d. tr.*  
*c. 22. & 23. VVesenb. in par. C. d. l. un. Myns. 2. Obs 26. n. 2. & 3. Duar ad l.*  
*un. C. etiam per procur. & c. Sfort. Odd. p. 1. q. 31. art. 11. & 12. 13.*

XXXIII.

Valet hoc dogma secundum Dd. alleg. si principaliter re-  
stitutio imploretur secus si incidenter, tunc enim sine speciali  
mandato potest admitti restitutionis imploratio, nam cui com-  
missa est litis persecutio, ei censentur & cætera demandata, sine  
quibus aptè & utiliter ea explicari nequit, aut sine quibus judi-  
cium non potest peragi. *l. ad rem mobilem l. legatum ff. de Procur.*  
Restitutio vero ita cum principali connexa est, ut alterum ab al-  
tero dependeat, & exinde locum habet *l. quoties 3. C. de Jud. ob*  
*causæ continentiam ne ea dividatur l. nulli C. eod. & solent leges*  
*multa concedere incidenter quæ alias principaliter denegantur*  
*p. l. 1. ff. de Auth. tut.*

XXXIV.

Necessarium tamen non erit causam restitutionis nomina-  
tim inferi mandato procuratorio, nec ob ejus omissionem vitia-  
tur mandatum, licet tutius sit eam apponere; frequentius enim  
eo itum est, satis esse, si in procurationis instrumento inferatur  
hæc clausula, (& ad petendam in integrum restitutionem con-  
stitutus est talis procurator) non requiri, ut causa, quæ tractan-  
da sit, nominatim exprimat juxta *Bart. in l. filius ff. de Donat. l.*  
*Titius in pr. ff. de lib. & posth.* Sunt tamen aliquot casus, quibus spe-  
cialis casus expressio est necessaria, qualis est ad eundem hæredi-  
tatis, *l. apud Julianum ff. ex quibus causis in poss. & casus matrimonii*  
*l. generaliter de ritu nupt.* quia ex illis grave pendet ac resultat præ-  
judicium *Myns. d. 2. obs. 26. n. 5. & h. Maur. d. tr. c. 24.* A speciali manda-  
to eximuntur quoque Pater, Tutor, Curator, Oeconomus, Syn-  
dicus, Prælati & alii habentes administrationem alieni patri-  
monii *Myns. Maur. d. locis. Arnold. Reyer. d. disput. 13. th. 24. Mej. d.*  
*tit. n. 17.*

XXXV.

Locus seu forum, quo restitutio in integrum tractanda &  
propo-



proponenda, quod attinet, de eo variè à Dd. controversatur: Nos in foro rei seu domicili eam agitari debere defendimus, tum quod regulariter actor sequatur forum seu domicilium rei, tum quod apertis textibus juris idem constet l. 2. C. ubi & apud quem Nov. 119. c. 6. l. 2. §. 3. l. 50. §. 2. ff. de Judic. pro qua assertione facit Maur. d. tr. c. 36. Cald. ad d. l. 3. in defn. verb. Implorandum n. 30. & seqq. A foro tamen domicili exclusus est Clericus & Ecclesia, sicuti enim hæc, ita & iste singulari quodam gaudet privilegio, maxime si quis petat restitutionem & in personam agat Marant. p. 6. de App. n. 113.

### XXXVI.

Tempus restitutionis duplex est; aliud ad quod petitur restitutio, aliud intra quod: Primum consideratur, quando aliquis fuerit læsus in aliquo cursu vel lapsu temporis, ad quod vult restitui & tantum reddit restitutio, quantum abstulit læsio l. fin. ff. de Min. l. sed et si Praetorem §. si feria. ex quib. causis major. Alterum intra quod, consideratur in omni causa restitutionis petendæ, & est spacium illud, quod datur ipsi læso ad petendam restitutionem: Jura enim civilia non perpetuò de læsione quæri posse & beneficium hoc implorare volebant sed præfinitum est certum tempus intra quod restitutio impleretur Francisc. Odd. p. 1. q. 19. art. 1. & 2.

### XXXVII.

Hoc tempus vel est juris antiqui vel novi: Illius erat olim annus utilis ad restitutionem scilicet petendam decernendamq; l. 19. l. 39. ff. de Min. l. fin. C. de temp. in integr. rest. l. 1. in verbo, intra annum, ex quibus causis maj. in quo tria potissimum considerabantur, actori agendi copia, reo defendendi potestas & judici judicandi facultas, præter hæc enim non currebat l. 1. de divers. & tempor. præfer. Don. 21. comm. X. Hill. ibid. Odd. p. 1. q. 19. art. 3. Maur. c. 41. n. 8. 9. & 10. Mejer. in coll. Argent. ad h. t. n. 26.

### XXXIX.

Hujus vero est quadrennium continuum, idque ex nova Justiniani Constitutione l. f. C. de Temp. in integr. rest. Cum enim propter diversum morem & diversum stylum feriarum annus  
iste



iste utilis alicubi foret longior, alicubi vero brevior, feriæ enim ex consuetudine alterari possunt *gl. in l. quadraginta C. de feriis*, & absurdum esset ut varietas locorum varietatem juris induceret *l. cum interdum 4 de Instit. act.* ideoque cum permultæ contentiones de ejus computatione extiterant, Justinianus propter hanc *ἀναξίαν* annum utilem in quadriennium continuum commutare voluit *d.l. fin. in pr. Donell. 21. comm. X. Hill. ibid. Odd. d.l.*

XXXIX.

Quod quadriennium currere incipit quidem à die quo annus utilis, postquam vero currere inceperit semper continuatur nec interrumpitur *Duar. ad tit. C. de tempor. in integr. rest.* & hoc est quod dicitur, utile esse ab initio, continuum in progressu *Hill. d.l.* & hac ratione possit dici utile tempus, respectu scilicet initii. Non enim extraneum est aut à jure alienum ut tempora, quæ ab initio utilia sunt, postea fiant continua ut est *in l. cum semper ff. de Edil. edict. Maur. c. 41. n. 14. & seq.*

XL.

Et datur hoc quadriennium non solum ad litem interponendam sed & ad finiendam *l. 5. & d.l. fin. C. de Tempor. in integr. & c. l. ult. C. de Repud. hered. cl. un. de Restit. in integr. c. 1. & 2. de Restit. in sexto.* Sicuti & olim annus utilis currebat non modo ad incipiendam sed & ad finiendam litem *l. 5. & 6. C. de Tempor. in integr. restit.* Et hæc ita vera sunt, ut regulariter transacto quadriennio restitutio in totum exclusa videatur ut amplius peti non possit *per d. text. Odd. p. 1. q. 19. art. 5. n. 49. & seqq.*

XLI.

Nisi actor dolo culpa aut facto adversarii vel judicis impeditus fuerit, quo minus causa reitutionis intra quadriennium expediatur, hic enim quia per se finiri curavit, & fecit quod in se fuit, nihil tamen impetrari ob judicis factum vel adversarii dolum potuit, ideoque ipsi nihil imputandum, cum nec aliud lex ista desiderare videtur, his verbis, *litem finiendam curat*, curasse enim satis videtur qui tam vigilantissimè est versatus, idque simili elegantissimo probat *tex. l. fin. C. de adult. & in l. quinquaginta cum seq. ff. de Excusat. tutor.* *justa præterea impedimenta à quadrienn-*



quadriennio submoveantur. *Maur. c. 41. n. 4. 5. & 6. Odd. d. l. n. 56. vel  
nisi specialiter quid in casu constitutum ita ut justa causa subsit  
c. 1. h. t. in 6. aut princeps motu proprio restitutionem concedi  
mandat etiam post lapsum quadriennii Sfort. Odd. d. art. n. 57. & seq.*

XLII.

An vero totum quadriennium ad petendam restitutionem  
concedatur cū læsio in minori temporis spacio facta sit non ini-  
quē quæritur? affirmandum hoc est, per *d. ll. un. l. i. C. de rest. mil. per  
l. supervacuum C. de temp. in integr. & c.* restitutionis enim iudicium  
ordinarium non summarium est, nec simplici sed plena causæ  
cognitione expediri debet, *l. 3. h. t. l. ii. §. sciendum 3. ff. de Minor. &  
absurdum esset, si in una, tribus aut quatuor diebus læsio confi-  
steret in tot diebus quoque restitutionis processum expediri de-  
bere, quod neque juri neque æquitati ullo modo consonum esse  
videatur Sfort. Odd. p. 1. q. 19. art. 4. n. 39. Maur. c. 42.*

XLIII.

Hoc tempus quadriennii alia tamen lege vel statuto proro-  
gari & prolongari potest, hæc enim constitutio juris civilis est, &  
propterea mutabilis quemadmodum cæteræ quoque constitu-  
tiones juris positivi §. *sed ea Inst. de I. N. G. & C.* idque constat ex eo,  
quod jure veteri erat annus utilis, hodie vero integrum quadri-  
ennium continuum *d. l. fin. C. de Temp. rest.* Perpetuari etiam potest  
consensu partium, favore enim rei introductum est hoc quadri-  
ennium, ne in longius tempus actor protrahat negotium, & pro-  
pterea lapso quadriennio reo volente nec dissentiente restitutio  
commodè post id tempus agitari potest *l. 7. C. de Temporib. rest. in  
integ. & c.* cum quilibet juri pro se introducto possit renunciare  
*l. fin. C. de Pact.* & sic reus si non sit usus temporis exceptione, vi-  
sus erit tacitè litis intentionem approbasse *Maurit. art. 47. Odd. p. 1.  
q. 1. art. 10. & 12.* Idem accidit in appellatione teste *Maran. p. 6. n. 236.*

XLIV.

Judex verò hoc quadriennium de jure protelari nequit, cum  
non à ministerio sed jure ipso seu lege conceditur: Si tamen justa  
causa suaserit, puta si per eum vel per alium steterit, quo minus  
intra constitutum tempus causam restitutionis terminare potue-  
rit, hoc ipsi conceditur. Sed in tali casu potius lex ipsa dicitur  
prote-

C

prote-



protelare, quam iudex, lex enim vult legitimas eas causas subducendas esse ab eo quadriennio, ut ita lex hoc operetur non ipse iudex: Sine causa vero non potest, quia sine causa & facto proprio iudex formam à lege datam non potest mutare *fort. Odd. p. 1. q. 19. art. 10. quem vide.*

X L V.

Omnibus autem restitutionum speciebus hoc quadriennium competit & *d. l. fin.* ad omnes etiam species extenditur, cum satis ex verbis *l. pateat* generaliter olim restitutionibus præfixum fuisse annum utilem, & hunc in quadriennium continuum Justinianum immutasse, nec distinguit Imperator ex quam causa procedat: Et licet mentionem tantum faciat Justinianus majorum & minorum, cum per minorum, restitutionem eorum qui per ætatem lapsi, per majorum vero non solum absentia sed & aliarum causarum restitutionem intelligimus. Excipitur vero à *Dd. actio metus l. 14 § 1. ff. quod met. causa l. si per vim C. de hiis quæ vi metusve causa & c.* quæ intra annum utilem, Item doli, *l. ult. C. de Dol.* quæ intra biennium continuum debet intentari *d. l. ult. in toto* enim jure generi per speciem derogatur *l. in toto jure de R. f. Donell. 21. comm. 10. Treutl. d. disp. 11. vol. 1. th. 3. lit. a. Odd. d. q. 19. art. 3.* qui tamen respondit licet in dictis locis biennium detur hoc tamen fit in actione doli, non vero in restitutione quæ datur officio iudicis, de quibus nos agimus.

X L V I.

Specialem habet exceptionem Auth. *sin minus C. de Tempor. in integr. rest.* dotis cautæ non numeratæ restitutio, in qua disponit Imperat. jus hujus restitutionis petendæ durare 12. annis à die nuptiarum, unde si in 15. anno nuptiæ contractæ sint intra 27. annum quæri necesse sit *Hill. in Donell. 21. cap. 10. in not. lit. S. Odd. d. loc. n. 30.* hanc facit rationem, quia præscriptio dotis currit contra minorem, quod tamen de omnibus temporalibus præscriptionibus negatur, itaque æquum ut in hoc deinde relevetur & restitutio non duret saltem quadriennium sed & ulterius.

X L V I I.

Pro varietate personarum variè hoc quadriennium currit: Minores etenim licet ante impletum 25. annum & sic intra totum  
tempus



tempus tutelæ & curatelæ restitutionem perpetuo rectè implo-  
rare possint *l. minoribus 5. C. de in integr. rest. l. 1. C. si advers. vendit. pign.*  
*l. 1. C. de temp. in integr. rest.* hoc tamen quadriennium à die quo ma-  
jores facti demum illis currere incipit, scilicet à primo die anni  
26. usque ad diem extremum 29. *l. 3. §. 3. de Minor. l. fin. C. de Tempor.*  
*restit. & c. Cald. ad d. l. 3. in def. verb. intra legitimum tempus n. 1.* Si  
enim curreret hoc tempus ipsis minoribus, eo ipso quod tempus  
labi finerent, dicerentur lædi, & sic nihilominus restitui debe-  
rent, ut itaque circuitus restitutionis evitetur, melius constitu-  
tum, ipsis minoribus antequam majorenes facti, non currere.

XLIX.

Nisi veniam ætatis impetraverint, tunc ex eo tempore quo  
venia ætatis impetrata ipsis in judicio competenti intimata fue-  
rit, & administratio rei propriæ permessa, non vero ab ipsa die  
venia impetratæ, currit *l. 5. in pr. C. de temp. rest. in integ. Mejer. d. l. n.*  
*26. Donell. 21. com. 10. & ibid. Hill. & in notis lit. T. Duar. ad tit. C. de tem-*  
*por. in integr. rest. Cald. d. l. n. 2. Sfort. Odd. p. 1. q. 20. art. 1. & 2.*

XLIX.

Non tamen datur hoc tempus quadriennii minoribus in ne-  
gotiis quæ jam perfecta ætate in isto quadriennio gesta sunt, pu-  
ta si anno 27. ætatis lapsi, tum non habent restitutionem nisi in-  
tra biennium *l. 19. C. diversum ff. de novat. Cald. ad d. l. 3. C. in def. verb.*  
*intra legitimum tempus n. 11. Hill. d. l. in not. lit. T.*

*res. l. restitutionis*

Majores beneficium restitutionis petunt à die læsionis cessan-  
tis, tunc ipsis enim currere tempus quadriennii incipit *c. un. cl. de*  
*Rest. in integr. l. respub. C. ex quib. causis major.* Idem observatur in Ci-  
vitatibus, Ecclesiis aliisque qui jure minorum utuntur, alias n.  
iis nunquam curreret *c. 1. & 2. de rest. in sext. d. cl. 1.* licet enim jure  
minorum utuntur, hoc tamen tempus illis currit, nec ultra præ-  
dictum tempus possunt restitui, nec adversus lapsum hujus qua-  
driennii restituantur, res enim in infinitum traheretur, & sic qui  
cum Ecclesia vel universitate contraheret, neque ipse neque hæ-  
redes ejus securi esse possent, cum Eccl. & universitas nunquam  
morerentur. *Gomez. 2. resol. 17. n. 8. Odd. p. 1. q. 20. art. 3. Specul. de rest.*  
*in integ. §. Intra quantum tempus Maur. c. 42. n. 2.* Absentibus vero

C 2

Reip.





Reip. causa, aut propter aliud justum impedimentum currit à die reversionis l. 3. C. de Rest. mil. Arnold. à Reyer d. disp. th. 72. Donell. 21. comm. 10. & ibid. Hill. in not. lit. T.

L I.

Restitutio inchoata contra defunctum transit in ejus hæredes; Et tantum quoque temporis ad hæredem læsi pervenit, quantum ipsi læso tempore mortis supererat l. interdum ff. de Min. l. ea 5. §. 7. C. de Temp. rest. in integr. nemo enim plus juris in alium transfert quam ipse habet Sfort. Odd. q. 20. art. 8. Cum vero defuncti successores seu hæredes inter se differant nec æquales semper existant, ita nec uno etiam & eodem modo hoc tempus quadriennii illis currere potest: Aut enim minor minori hæres existit: aut major minori, aut minori major aut majori major.

L II.

Si minor in minoris jura successerit, minimè prohibetur, cum 25. suæ ætatis annum transierit beneficio restitutionis uti tempore illibato l. 5. §. 1. C. de Temp. rest. in integ. l. 19. ff. de Minor. residuum enim quadriennii, vel etiam totum quadriennium, quod competebat ipsi auctori defuncto, non currit hæredi minori in ætate, sed demum post 25. annum, adeo ut hæres quandoq; habeat plus temporis quam defunctus tempore mortis ejus, omne scilicet quo minor existit, & deinde omne tempus quod defuncto superfuit, ita tamen, ut tempus illud quod heres habet minor in minore ætate, ex sua persona habeat, residuum vero quod habet post 25. annum ex persona ipsius defuncti. Odd. p. 1. q. 20. art. 8.

L III.

Quod si majoris jura minor fuerit nactus, ei post legitimam ætatem non datur totum quadriennium, sed ex persona defuncti id tantum tempus ad exponendas restitutiones decidendasque causas, quantum defuncto erat residuum, unde non integrum semper habet quadriennium, sed vel integrum vel minus, pro ut habebat ipse defunctus & manet ita regula ista firma, quod nemo plus juris &c. l. 5. §. 2. C. de Temp. restit. l. 2. eod. l. 19. §. plane ff. de Minor. Maur. h. tr. c. 20. Mejer. in coll. Argent. h. t. n. 32.

L IV.

Quod si major successionem adeptus fuerit minoris, siquidem

dem



dē civili jure ab intestatō vel ex testamento successerit, mox cum adita fuerit hæreditas currere incipit hæredi quadriennium. *d.l. 5. §. fin. l. 18. §. ult. ff. de Minor.*

L V.

Si major majori successerit, hæredi statim ab adita hæreditate id tempus currit quod defunctus habuit. *Cuja. in par. 6. C. de Tempor. in integ. rest. Mejer. d. l. n. 33. & 34.* ante aditam vero hæreditatem majori non currit quadrienniū *d. l. 5. §. fin.* quia non valenti agere non currit præscriptio, si impediatur impedimento juris *l. 1. §. fin. C. de annal. except. l. 1. C. de Bonis matern. & justum impedimentum retardat cursum quadriennii, nec potest negari quin justum impedimentum sit non aditæ hæreditatis, cum petere restitutionem aliter non potuerit nisi ut hæres, hæres vero non est priusquam adierit hæreditatem & propterea petere impeditur. Odd. p. 1. q. 11. art. 9. Maur. c. 20. Cald. ad d. l. 3. verb. infra legitimū tempus n. 16.*

L V I.

Ignoranti utrum currat hoc quadriennii tempus valde inter DD. controversitur: Nos cum *Wes. in par. ff. ex quib. causis major. n. 10. & Treutl. in d. disp. 11.* currere in puncto juris verius putamus *argumento l. ult. C. de Præscr. long. temp. in omnibus n. præscriptionibus & usucapionibus completis non datur restitutio; ex capite ignorantia, d. l. f. & est textus in l. un. C. de Usucap. transf. ne altera dubitationis in extricabilis oriatur occasio arg. d. l. un.* Et sanè si propter ignorantiam restitutio concedatur in præscriptionibus, nunquam vel raro locum haberent præscriptiones, quis n. adeo rerū suarum esset prodigus, ut sciens eas usucapi pateretur: imò semper dominia in incerto essent contra *l. 1. ff. de Usuc. nec unquam litium esset finis, cum tamen intersit Reipub. consopiri lites pr. Inst. de Usuc. maximè quoq; contrariaretur bono publico, d. l. 1. quod tamen non debeat cessare ob privatorū læsionem arg. auth. res que C. com. de legat. Moll. ad Const. Elect. 9. p. 2. Usq. lib. 2. Illustr. controv. c. 75. Fach. 1. contr. 69. Bronch. 1. misc. 10. Hill. ad Donell. lib. 21. c. 5. in not. lit. D. Licet contraria opinio receptior sit, ut usu obtinere dicatur Maur. c. 58. & alii.*

L V I I.

Cæterū hoc quadriennium locum duntaxat habet in iudicio rescindente, non rescissorio, siquidem præfinitum est petendæ



restitutioni, non actioni restituta, quæ nec dici potest dari intra annum vel quadriennium cum ante restitutionem nulla sit *arg. l. 13. §. 1. ff. de Minor. in rescissorio* n. iudicio hodie annus utilis non est immutatus *Wes. in par. ff. ex quib. causis maj. n. 9. Ant. Caius in pract. tit. C. de Restit. in integ. Maur. c. 7. in fin. pr. l. in honorariis §. sed cum rescissa de Obl. & Act.* Hoc tamen dogma quadriennii non observari in Camera Imperiali testatur *Myns. 1. Obs. 61. n. 7. & 8.*

LII X.

Notandum est circa restitutionis materiam 1. Restitutionem non dari ex delicto, præsertim tali, quod lex pro atrociori crimine punit puta adulterium, homicidium *l. 37. §. in delictis ff. de Min. l. 9 §. nunc videndum, eod. l. 1. & 2. C. si adve. f. del. delinquentibus* n. Prætor suo beneficio non succurrit, nec merentur excusationem delicta, *Maur. in d. tr. c. 354. n. 5. Arnold. à Reyer d. disp. th. 23.*

LIX.

2. Ne in eadem causa vel re denuo repetatur in una n. eademq; causa iteratum in integrum restitutionis auxilium non jure posci sæpè rescriptum est, dicit Imperat. nisi novæ defensionis prætenduntur *in l. 1. 2. & 3. C. si sep. in integ. rest. post. c. ult. de in integ. rest. Maur. d. tr. c. 258. & seqq. Odd. p. 1. q. 16 art. 1. 5. & seqq. Myns. 1. obs. 52.* qui hoc quoq; in ordinatione Camerae p. 3. tit. 52. cautum testatur. Novæ v. defensionis dicuntur, quæ noviter quæsitæ vel quæ antiquæ sed priori iudicio non propositæ *gl. in l. 7. §. restitutus 9. ff. de Minor.*

LX.

3. Nec detur contra tres conformes sententias *Bald. in l. un. C. ne eod. causa lic. ter provoc. & Alex. in l. 4. §. condemnatum coll. ult. ff. de re jud. Myns. 3. obs. 84.* qui hanc sententiam, ob præsumptam à jure calumniam esse receptam in Camera, affirmat. Interdum tamen restitutionem contra tres sententias conformes admittunt alii, & rectè, præsertim si ex novis aut antiquis probationibus appareat quiddam, quod præsumptionem calumniæ faciat filere, & cum justæ læsionis probationes adsint, nam & eo in casu rectè impeditur executio trium conformium sententiarum. *Eleganter Odd. p. 1. q. 43. art. 3. Salycet. quem refert. Myns. d. l.*

LXI.

Finis seu effectus restitutionis est ut lapsis ætate, vel errore  
aut



aut alia justa de causa subveniatur, perinde ac si lapsi non essent,  
i.e. ut lapsio & adversario omnia integra sint quasi nihil gestum sit  
l. 24. §. pen. de Min. ut n. in damno morari non debet, ita nec in lucro  
sed quidquid ad eum pervenit, restituat l. un. C. de Reput. VV. in p.  
adh. l. un. Cujac. infr. ibid. Donell. 21. com. c. ult.

LXII.

Nec damnum modo resarcire sed & lucrum amissum restituere  
tenetur, ideoq; etiam fructus præstandi l. 24. §. 4. ff. de Minor. &  
usuræ, quatenus valor rei pretium excedit, compensandæ l. 27. §. 1.  
eod. tit. l. 1. C. si quis rem min. l. 173. de R. J. tam percepti quam qui per-  
cipi potuerunt c. grav. de Rest. spol. restitutionis n. verbum plenissi-  
mam habet significationem l. 22. 35. & 75. de V. S. Geil. 2. obs. 75. n. 7. &  
8. Donell. d. l. & Hill. ibid. in not. lit. Q.

LXIII.

Efficat præterea restitutio, ut ea postulata & pendente nihil  
quicquam regulariter innovari queat, sed omnia in suo statu ma-  
nere debeant donec iudicium finiatur. l. un. C. in integ. rest. postul. ne  
quid novi fiat: nulla itaq; res pendente restitutione alienari potest,  
& alienatio facta ipso jure est nulla & à iudice, de facto facta, re-  
vocari potest, arg. l. 57. Chirographis §. 1. ff. de Administr. tut. per restitu-  
tionis n. petitionem lis introducta dicitur, lite v. introducta non  
potest amplius res, super qua introducitur, alienari t. ff. C. & Auth.  
de Litigiosis Sfort. Odd. p. 1. q. 42. art. 1. & 2. Myns. I. Obs. 48. & 6. Obs. 80.  
Marant. p. 6. de App. n. 108.

LXIV.

Sic quoq; regulariter differt & impedit sententiæ executio-  
nem si contra eam petita sit restitutio p. d. l. un. ibidemq; gl. in verb.  
restitutione l. si causa cognita 32. C. de Transact. c. suscitata de Rest. in in-  
teg. Myns. de Obs. 48. & 80. Maur. d. tr. c. 30. Odd. p. 1. q. 43. art. 1. Mar. d. l.  
Nisi à principe lata sit sententia, pro cuius justitia & sententia  
semper datur præsumptio ex prærogativa speciali, ita ut malitia  
potius ex parte petentis, quam justitia ex parte iudicantis præsu-  
matur Mar. d. l. n. 109. Sfort. Odd. d. l. art. 2.

LXV.

Quod si tamen manifestè & expressè notoria calumnia & ma-  
litia petitoris appareat; non impeditur executio d. c. suscitata de  
Rest. in int. & procedit, licet nulla præstetur cautio à petitore exe-  
cutionis,



cautionis, licet alias in præsumpta malitia præstare eam teneatur, juxta dispositionem *d. cap.* quamvis sententia nec in præsumpta malitia suspendatur regulariter: Si vero in ea cautionem non possit prævideri juri illius, contra quem fit executio, ea interim suspenditur juxta *c. suscitata Mejer. in Coll. Arg. h. t. n. 37. Myns. d. l. Odd. d. l. art. 5. Marant. d. l. n. 109.*

LXVI.


Nisi executio irretractabile præjudicium contineret; ut quia tractaretur de carcerando, vel affligendo aliquem in corpus; tunc enim indistinctè impeditur executio per restitutionem in integrum *Abb. in d. c. suscitata col. pen. Bald. in d. l. un. C. de integ. rest. Marant. d. l. 110.* hoc enim in casu damnum illatum per cautionem recuperari nequit. *Odd. p. i. q. 43. art. ult. n. 110.* Non minus impedit executionem sententiæ petitio restitutionis quæ altiorem requirit ingenium, licet in continenti plenariè læsio probari non possit *Myns. d. Obs. 80. Odd. d. q. art. 4.*

LXVII.


Coronidis loco adjicere placet, utrum restitutio adeo vires exerat ut restituta parte principali fidejussorem ejus quoque obligatione eximat? quod negandum per *l. 1. & 2. C. de Fidejuss. minor. l. 35. ff. de Recept. arbit.* Creditorem enim non debet remanere in damno, quando hoc potest fieri sine damno ipsius minoris *l. in causa 13. in pr. ff. de Min. & ex eo facere adversarius creditur fidejussorem requirens, quod dubitet ne minor restitui petat in integrum, fidejussor itaque suavor & affirmator erat ut cum minore contraheretur *d. l. 13.* itaq; sibi imputet, scire enim debebat pro quo & in quo casu promittat *Arnold. Rey. dict. disp. th. pen. Odd. p. i. q. 48. art. 1. Donell. 21. comm. ult.* Secus est in litis consortibus in re vel causa communi connexa & indivisibili, tunc beneficium uni ex consortibus litis concessum ad alios simul litigantes extenditur, in dividuis vero & quæ separari queunt neutiquam *gl. notabilis in l. un. C. si in communi eademq; causa in integ. rest. post. Maur. c. 185. usq; ad c. 192. Sfort. Odd. p. i. q. 44. art. 4.* Et hæc de Restitutione in genere sufficiant.*

SOLI DEO GLORIA,











K 6 3682


ULB Halle 3  
006 683 72X




Wm MC











DISPUTATIONEM HANC  
De  
**RESTITUTIONE**  
IN INTEGRUM IN  
GENERE,

AUSPICIO  
TRINUNII POTESTATIS,  
ASSENSU  
JCTORUM Amplissimæ facultatis,  
PRÆSIDIO  
*Christissimi & Consultissimi Viri*

**Dn. CONRADI CARPZOVII J.U.D.**  
Profess. Publ. Electoralis Curiaë, Consistorii, Fa-  
cultatis Juridicæ Assessoris dignissimi, Præceptoris  
jure merito observandi, Promotoris mei  
optimi maximi,

*Ventilandum exhibeo*  
**CASPARUS Pfreundt Brandenburgensis**

*Habebitur*  
In Auditorio JCTORUM  
*Die 9. Mens. Novemb. horis à septima matutinis.*

\*\*\*\*\*  
**WITTEBERGÆ**  
Excudebat **AUGUSTUS BORECK**, Acad. Typogr.  
**ANNO M. DC. XXVI.**

*Ex dono  
H. H. Resig  
H. et An.*

6

